

addita etiam est Aetiologya ab effectu,
aut enim unum odio habebit, &c.

V S V S.

1. Multi putant se posse servire Deo
& Diabolo simul, Mammonæ, pecca-
tis, &c: sed aliud docet his verbis Sal-
vator noster Christus.

2. Probè itaq; unusquisq; perpendat,
cui sese velit dedicare.

Mammona potest & debet servire no-
bis: Et possumus divites esse, & simul pij,
ut Abraham, qui tamen Pater omnium Gene. 13.
credentium dicitur, sed non debemus ser- Rom. 4.
vire Mammonæ. Avarus enim, qui est
Idolatra, non habet partem in regno
Christi & DEI.

Ephes. 5

II. Argumentum à majori, vel non ne-
cessario: *Nonne anima, &c.* Huic addi-
tur Aetiologya ab experientia: *Aspici-
te volatilia cæli, &c.*

V S V S.

1. Consolationem hic eruamus, quod
Deus, qui nos creavit, etiam velit susten-
tare. Rectè itaq; Augustinus: Qui cura-
vit pro te, cum adhuc non essemus; multò
magis curabit, cum jam sis.

2. Monemur etiam, ne simus otiosi
creaturarum Dei spectatores, sed ex con-
sidera-